



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiariam reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

§. 15. Principium 15. Auctoritas majorum in illicitis excusat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

monitus non respicit, privilegium Clericale amittere, ut
in cap. In Audientia 25. de Sent. excomm. deciditur.

Deducitur 3. Minorem in delictis atrocioribus non posse
à Magistratu petere restitutionem in integrum, uti in cit. l.
Auxilium habetur.

§. XV.

PRINCIPIUM XV.

Authoritas Majorum in illicitis excusat.

Sensus.

Hoc est, quando Actio aliqua non Jure Naturæ, sed positi-
ve duntaxat prohibita est, non imputatur ad culpam illi, qui
imperio Legitimi Superioris dispensare in eo genere velle-
tis illam peregit.

Authoritas.

Desumptum est Glossa super cap. dixit 14. q. 5. item et
eadem Glossa super cap. Salonitanæ 23. dist. 63. illudque ap-
probant communiter Authores.

Ratio.

Quia, cum omnis res, per quas causas nascitur, per eas-
dem etiam dissolvatur, merito etiam infertur, Legislatorem
sicut posuit prohibitionem certæ actionis, ita etiam eandem
iterum tollere posse.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Moysen & Israëlitas à peccato Furti
excusatos fuisse, eò quòd ex Mandato DEI Ægyptios spolia-
verint, uti in cit. cap. dixit. habetur.

Deducitur 2. Etiam Discipulos, dum per Segeres transe-
euntes spicas evulserunt, & comederunt, fuisse excusatos, uti
in cap. Discipulos 26. de Consecr. dist. 5. dicitur, quia scilicet
et probabiliter imperio Christi id fecerunt.

Deducitur 3. Subditos posse Principi ad bellum vocanti
obedire sine ulteriori inquisitione de Justitia belli, modo
nulla illis specialis ratio de injustitia representetur. Ita
Ferd. de Castro p. 1. tr. 1. du. 2. pu. 8. cum Suar. & aliis.

§. XVI.

PRINCIPIUM XVI.

Non omnium, quæ à Majoribus constituta sunt, ratio reddi potest.

Sensus.

Hoc est, multa sunt, quæ a Legislatoribus & Superioribus iuste præcepta sunt ob rationes illis cognitatas, quæ tamen nobis illas rationes ignorantibus, & proprium iudicium sequentibus minus congruè instituta videntur.

Authoritas.

Desumptum est ex lc: Non omnium 20. ff. de leg. & ideo inquit Lex sequens rationes eorum, quæ constituuntur, inquiri non oportet, alioquin multa ex his, quæ certa sunt, subvertuntur.

Ratio.

Quia, cum varia sint Hominum ingenia & iudicia, facilius poterunt Legislatores moveri à motivo aliquo ad Legem promulgandam, quod alios laet, unde sola voluntas Legis pro ratione habenda est, uti in §. Furtivæ. Instit. de usurp. deciditur.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Non posse reddi rationem, cur in Usurpatione pro termino statuatur triennium, & non potius biennium aut quadriennium, uti Glossa in cit. lc: Non omnium dicit.

Deducitur 2. Non posse à nobis facillè rationem reddi, cur Pontifices interdum Indulgentias, v. g. Quinque Sanctorum ut S. Caroli Borromæi, typis mandari vetuerint, uti P. Gonet p. 2. thes. Indulg. c. 18. fatetur.

Deducitur 3. Equè difficilè esse, rationem reddere, cur in lc: Si alieni 78. ff. de solut. alienæ pecuniæ per admixtionem transeant in admiscens dominium; frumentum autem & alia mixtilia per mixtionem non totaliter transeant in dominium miscens, uti Lugo d. 6. de Justit. num. 162. advertebat.

§. XVII.